

Apollo.

70. Prima.

Ex concessio-  
ne B. Virgi-  
nis Religio  
Carmelitana  
gaudet per-  
petuitate.

71.

Paulus V.

72.  
Matth. 9.  
Ioan. 11.  
Luc. 7.

Precibus B.  
Virginis di-  
citur Car-  
melitica fa-  
milia.

Ambros.

73.

Matth. 6.

Hugo.  
Vestis data à  
B. Virgine  
omnia dona  
secum habet.  
Apoc. 6.

indicantes pingebant palmam. Ut inquit Horus Apollo in Hieros. cap. 3.

Afferens fructus duodecim per menses singulos; supra quod D. Primas. In duodecim mensibus, ait, omne tempus insinuat, & perpetuitatem omnino designat. Duodecim fructus per singulos menses quandam perpetuitatem, ac perennitatem significant in omni tempore, & seculo; Religio autem Carmelitana gaudet perpetuitate. Hanc enim Beatissima Virgo Maria promittit S. P. N. Petro Thomæ, ut in eius festiuitate die 29. Ianuarij legitur in nostro Breuiario approbato à Summis Pontificibus Urbano VIII. & Innocent. X. lect. 5. ad Matutinum. Sic ei ait B. Virgo. Confidite Petre, Religio enim Carmelitarum in finem usque seculi est perseveratura. Elias namque eius institutor iam olim etiam à Filio meo id impetravit.

Et folia ligni ad sanitatem gentium. Folia ligni vestimenta sunt, vestimenta, seu Sacrum scapulare ordinis Carmelitici ad sanitatem gentium est, ut ait Paulus V. Pontifex Max. in festiuitate Comment. die 16. Iulij. Ut celesti hac veste ordo ille sacer dignoscatur, & à malis ingruentibus protegeretur. Cum ergo hæc sacra vestis data sit à B. Virgine Maria nostro B. Simoni Anglico, quid mirum; quod eius pia intercessione tot donis, ac gratis repletur, & abundet ex precibus tam piissimæ Matris omnia bona redundant, ac diffunduntur.

Tres mortuos Christus suscitauit, filiam Archilynagogi, Matth. 9. num. 2. Lazarum, Ioan. 11. num. 44. & filium viduæ Naïm Luc. 7. num. 14. Maximè tamen ponderandum est, quod ad suscitandam filiam Principis, vel Lazarum multas moras interponit Iesus. Ad filiam Principis trahit moras, in itinere curat mulierem, quæ fluxu sanguinis laborabat, & cum venit ad domum eiicit turbam, ad Lazarum verò cum venit, cum illius foribus longum habet sermonem; adulescentem verò absque vlla cunctatione è mortuis ad vitam reuocat, atque illi: Adulescens tibi dico surge. Cur cum aliis tot dilationes, cum hoc verò iuvene tanta festinatio? Ait Euangelista: Cum appropinquaret porta ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius viduæ matris sue, & hæc vidua erat, quam cum vidisset Dominus misericordia motus, ait illi: noli flere. In hoc iuvene intercedebat rogationes, ac fletus matris, & vbi adsunt matris rogationes, non potest esse dilatio, sed celera, ac festina erogatio, quam cum vidisset Dominus misericordia motus est. D. Ambr. ibi: Vt cito flecti diuinam misericordiam matris viduæ lamentatione credamus. Interueniunt preces SS. Virginis Matris pro hac sua familia, inde in eam dimanant quamplurima bona ac dona.

Sacra hæc vestis data est à Sanctissima Virgine, ac proinde quidquid boni est, secum asportat. Ait Christus Dominus suis discipulis: Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est, sicut vnum ex istis. Matth. 6. num. 28. Vestis Salomonis ex auro, & lapidibus pretiosis intexta, quomodo ergo liliorum cooperatura illustrior, & excellentior. Hugo ex D. Chrystostomo: Salomonis homines ministrabant vestes, istis autem, scilicet liliis Deus. Vestis autem à Deo data secum omnia bona inuoluit, ac communicat. De Beatis ait Ioan. Apoc. 6. num. 11. Data sunt illis singula stola alba. De amictu celestis gloriæ solum dicitur, quod sint datæ

stolæ albæ. Cur non exprimitur eorum excellentia, vt describuntur muri, & portæ ciuitatis ex auro, & gemmis pretiosis. Apoc. 21. Apoc. 21. num. 12. Dicuntur datæ stolæ albæ, à Deo, & cum sint à Deo datæ, ibi omne magnum, & sublimè innuitur, & significatur.

Matth. 25. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur.

Num. 9. Responderunt prudentes dicentes: ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.

VERSIONES.

Arabic. n. 8. Insipientes autem. Fatuæ autem prudentibus dixerunt.

Syriacus. Date nobis ex oleo vestro: ecce enim lampades nostræ extinctæ sunt.

Syriac. n. 9. Responderunt hæ sapientes.

Arabicus. Non est nobiscum quod sufficiat nobis, & vobis.

Vatablus. At prudentes responderunt dicentes, nequaquam, nequando non sufficiat nobis, & vobis: quin ite potius ad venditores, & emite vobis ipsis.

Caictanus. Nequando non sufficiat nobis.

EXPOSITIO IV.

ATVÆ autem. Rectè fatuæ, quia oleam non sibi prouiderunt & de alieno oleo voluerunt lucere; Sapientibus dixerunt. Cum adornate lampades suas iam non possent, nec oleum haberent, quo eas ardentes tenerent; Quia lampades nostræ extinguuntur. Cum enim vsque ad mediam noctem arserint, iam oleum quod inerat pene erat consumptum. Emblemata parabolæ est, vt per illud reproberetur tarda reprobatorum penitentia, quod valdè sero dolebunt de negligentia sua in præsentia vita: Lampades nostræ extinguuntur. Reuera extinctæ erant in vera, ac viuâ fide, charitate, ac bonis operibus, dicunt tamen, extinguuntur, quia mentes eorum in hac vita videbantur lucere in oculis hominum, tamen in morte, ac extremo iudicio hæc omnia euanescent, & apertè apparebit in eis omnes species, ac spes salutis, & virtutis extincta, ac deperdita.

Responderunt prudentes dicentes. Emblemata parabolæ est quo significatur, electos in die iudicij non esse flectendos reprobatorum precibus, nec eis

Apoc. 21.

74.

Sensus parabolæ.

75.

Hieron.

Chrysof.  
August.  
Gregor.  
Interlin.

76.

Quinam sint  
videntes.  
August.  
Gregor.

Imperfect.

Origenes.

Chrysof.

Cæsar.

eis opera, & auxilia allaturos. Nam vt ait D. Hieronymus. Non possunt, inquit, in die iudicij aliorum virtutes aliorum vitia subleuare. Similiter D. Chrystostom. D. August. D. Gregor. Interlin. & alij. Significatur ergo per hæc verba oleum bonorum operum emendum esse in hac vita proprio labore, ac merito.

Ite potius ad vendentes. Hæc verba à prudentibus ad fatuas dicta tanquam per irrisionem interpretantur. D. August. serm. 23. de verbis Domini. D. Gregor. homil. 12. qui ait: Venditores olei adulatores sunt. Qui enim accepta gratia vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt. Tanquam irridendo ad eos, qui suis laudibus eas decipiebant mittant. D. Chrysof. in Imperfecto homil. 52. Sacerdotes intelligit. A sanctis verò, ait, mittendas ad venditores, id est sacerdotes, nam sacerdotes charitatem, & gratiam verè vendunt, cum Sacramentum penitentia, & alia administrant. Origenes verò homil. 32. Doctores accipit: Ite potius & ab eis accipite. Scilicet doctrinam bene operandi, ac vitam æternam comparandi. Tertio, & vltimo, venditores sunt pauperes. D. Chrysof. homil. 79. Vides, ait, quanta sit nobis à pauperibus negotiatio: pauperes autem non sunt ibi, sed hic; ideo hic oleum congregare oportet, vt illic, vtilè sit. D. Cæsius Arelat. homil. in præsentii: Pauperes, ait, sunt negotiatores, qui oleum lampadibus necessarium vendunt, per ipsos hoc negotium Christus exercere consuevit.

QVÆSTIO XIII.

Quare cum fatuæ à prudentibus oleum postulant, non prudentes, sed sapientes vocant?

77.

Sapientia  
habitus ex-  
cellentior  
prudentia.

D. Thom.

78.

A quo ali-  
quid petitur,  
reuerentias  
ei non debi-  
tas dantur.  
1. Reg. 10.  
Septuag.  
Abulcuf.  
Carthuf.  
Mendoza.

Et X his decem Virginibus, quinque dicuntur fatuæ, & quinque prudentes, tamen cum fatuæ hic cum prudentibus loquuntur non prudentes, sed Sapientes vocant: Fatuæ autem sapientibus dixerunt. Sapientia excellentior, ac nobilior habitus est, quam prudentia, sapientia enim cognoscit res per altissimas causas vt docet D. Thom. 1. 2. q. 57. art. 1. in corpore. Prudentia verò tantum est ratio agibulum hic & nunc, vt citata quæst. art. 3. traditur. Cur ergo non prudentes, sed illustriori vocabulo sapientes vocant.

Respondeo, quod cum fatuæ aliarum Virginum oleo indigerent, inde augustiori vocabulo eas nuncupant, maiorèque honorem, quam alijs illis erat debitus, exhibent, vt frequenter fieri solet in hoc seculo, cum alicuius ope laboramus amplissimos titulos, profundasque reuerentias etiam non debitas illi impendimus. Postquam Saül vnctus est à Samuèle in Regem, dedit ei pro signo regni, quod discedens ab eo, & veniens ad quercum Thabor inuenit tres viros ascendentes ad Deum in Bethel. Cumque te salutarerint, dabunt tibi duos panes. 1. Reg. 10. num. 4. Septuaginta legunt: Dabunt tibi duas primitias panum. Nam vt docent Abulcuf. Carthusianus, Mendoza, quod hi homines ibant ad sacrificandum Deo, ideo non dicitur tantum quod ascendebant in Bethel, sed ad Deum in Bethel pro primitiis fructuum terræ deferebant duos illos panes. Cur pro signo regni datur Saül à Samuèle, quod vtri illi dabunt ei primitias fru-

ctuum terræ ( deferebant duos, ) quæ tantum Deo sunt debitæ, & ideo ad templum afferebantur, nullum sanè maius signum poterat pro regni vnctione exhiberi, cum valdè in vsu positum sit, vt regi ab aulicis suis maiores honores, ac applausus exhibeantur, quàm ei conueniant, & inde primitias, quæ solum diuino numini conueniunt, eique sunt debitæ, mortali homini pro regni auspicio præbentur.

Ingreditur Esther ad Assuerum, vt pro populo suo exoret. Residebat Rex in regali folio, eratque terribilis aspectu. Esther 15. num. 9. vt ardentibus oculi fatorem pectoris indicarent, vnde ingressa Esther corruit, & consternato animo tota exanimata, deliquium passa est, cum tamen animum concepisset, sic ad eum loquitur: Vidi te Domine quasi Angelum Dei. Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. Quomodo hæc coherent, Scriptura ait: Erat terribilis aspectu, ardentibus oculis. Esther verò ait, quod sic totus ille palcher, ac gratiosus vt Dei Angelus, illiusque facies gratiarum plena. Sapienter M. Celada ibi. Quod Esther adulantius rationem regi dedit. Esther cum rege negotium habebat, ab eoque rem magnam impetrare volens, inde de eo super eius cõditionem magna, ac sublimia profert, & quamuis ei esset torua, horrenda, ac terribilis facies, de ipso tamen testatur, quod sic totus erat famosus, ac placidus veluti Angelus Domini gratiam, & benignitatem diffundens. Vide in indice Verbum Adulatio.

QVÆSTIO XIV.

Quare fatuæ Virgines dicunt, date, non verò vendite, vel accommodate?

Extrema necessitate versabantur Virgines fatuæ, tamen non petunt, nec fufis lachrymis obsecrant oleum à prudentibus, sed tantum dicunt, date nobis. Fortè, quia fatuus & insipiens, quamuis vehementi prematur necessitate, hoc contentus est, & quiescit, quod dicat, & loquatur. Præcipiebatur in lege, vt leprosus extra castra poneretur, & additur: Habebit os veste coniectum, & contaminatum, ac sordidum se clamabit. Leuit. 13. v. 45. solum ori assignatur remedium, cum tamen lepra non esset in ore, sed in corpore. Ori tamen præscribitur remedium, quia si ille habeat os vt dicat, & loquatur, hoc erit ei pro consolatione, ac magno leuamine.

Ad quæstionem profunde notat Euangelista, quod fatuæ Virgines non petunt, sed dicunt, cum tamen occasio esset summi negotij, vt ad nuptias admitterentur, vel excluderentur; tamen nolunt se submittere, vt lachrymas fundant, ac petant, siue ab sponso, siue ab alijs Virginibus suis sociis, sed tantum dixerunt: date nobis. In imperatino date; sic enitebantur in amicitia, ac societate aliarum Virginum, vt sibi persuaderent oleum tamquam ex iure debitum, eis dandum esse, & ideo non petunt, sed cum imperio, ac arrogancia dicant: date nobis, quæ consuetudo apud multos valet vt sibi persuadeant rem esse illis impendendam, non vt dono datam, sed tamquam ex iusticia persolutam. Mortuo Iacob congregantur filij eius, & Gggg 4 conli

Pro signo regni  
qui assignatur  
Dei oblatio  
hominis  
data.

79.

Esther 15.

Celada

80.

Sapè homo  
hoc conten-  
tus est, quod  
dicat, & lo-  
quatur.

Leuit. 13.

81.

Sapè homo  
reputat alic-  
na sibi non  
dari, sed do-  
beri.

considerantes quantam iniuriam intulissent in videratione Ioseph, cui subiiciebantur; dicunt ei: Pater tuus praecepit nobis, antequam moreretur, ut haec tibi verbis illius diceremus, obsecro, ut obliuiscaris sceleris fratrum tuorum. Gen. 50. n. 16. quod falso, ac fictè nomine Parris dixerunt, ut docent Abulens. Lyran. Corncl.

82. Secundò dicunt: Date, non vendite, cum enim essent fatuae, omnia bona gratis absque vilo laborum stipendio, vel sumptu sibi obuentura expectabant, & inde pereunt, ac à nuptiis excluduntur, quod eleganter ponderauit. D. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 7. Illae Virgines in Evangelio, ait, quas veniens sponsus excludit, ideo foris relictae sunt, quia venale oleum non emerunt; unde dicitur eis, ite potius ad vendentes. Tertio. In hoc ut fatuae se habent, dum dicunt: Date. Nam si dicerent, vendite, forsitan impetrassent, nam dare difficile est, vendere verò dulce, & luau.

83. Quartò. Virgines fatuae non commodatum petunt, ut vit ille Euangelicus, cui media nocte amicus venit de via, ad ostium alterius amici pulsatis dicens: Comoda mihi tres panes. Luc. 11. num. 5. sed tantum dicunt: date. Quamuis fatuae hanc tamen habuerunt vrbantatem, ut oleum non peterent commodatum, sed datum, cum vnde illud redderent, non haberent, potius elegerunt vt carentes oleo à nuptiis excluderentur, quam vt deficientes in verbo dato mendaces inuenirentur, cum essent insufficientes, vt mutuatum oleum soluerent.

64. Cum Dominus vellet destruere peccatrices ciuitates intentat Abrahamus consequi indulgentiam à Domino, & init pactum cum Deo, quod si inuenti fuerint quinquaginta, quadraginta, triginta, viginti, ac tandem decem iusti, quod ciuitates non deleantur. Abrahamus videns Deum tam benignum, ac propitium, cum per tot numeros descenderit vsque ad decem, cur etiam non progreditur, vt vsque ad quintum deueniat. Cum Patriarcha à sua eximia charitate maximè impelleretur, vt pro illis miseris hominibus loqueretur, ac deprecatur. Abrahamus cum ad numerum denarium deuenit, promissit se amplius non loquaturum. Obsecro inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel: quod si tibi inuenti fuerint decem. Genes. 18. num. 32. Lypomanus: Patriarcha promissit semel tantum se loquaturum. Spondit se amplius non loquaturum, inde ad quintum numerum non deuenit, volens potius vehementiam suae charitatis, ac propensionis naturae reprimere, quam in dato verbo deficere: dicens, & loquens vltra id, quod promisserat.

85. Cum Christus Dominus deuenisset ad montem Caluariæ. Dederunt ei vinum bibere cum selle mistum, & cum gustasset, noluit bibere. Matth. 27. num. 34. Christus Dominus tormentorum valde sitibundus erat, ita vt omnia tormenta ei parua, & pauca viderentur. Cur ergo non bibit. Cum Christus Dominus esset in cenaculo cum suis discipulis, in caena Agni Paschalis, vt voluit Franciscus Lucas, & Cornelijs à Lapide, ait illis: Dico autem vobis non bibam à modo de hoc genimi-

Gen. 50.  
Abulens.  
Lyran.  
Corncl.

Ambros.

Luc. 11.  
Homo non  
defraudetur  
à verbo suo.

Homo adimpleat promissum, & illis non desit.

Gen. 18.  
Lypom.

Franc. Luc.  
Corncl.

ne vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Matth. 6. num. 29. Cum Christus Dominus dixisset, quod de fructu vitis non esset bibiturus ante suam resurrectionem, cum ergo vinum, seu acetum sit de genimine vitis, noluit ipsum bibere, decernens potius seipsum priuare à dulcedine, ac suauitate pœnarum, dolorum, ac tormentorum, quam in illis sustinendis degustabat; quam verbo suo dato, aliquantulum repugnare, illique plenè, ac integrè non satisfacere.

Christus promissa adimplet.

QUESTIO XIII.

Quare fatuae à prudentibus petunt, non de alieno oleo, sed de proprio?

PRUDENTIBVS dicunt fatuae: date nobis de oleo vestro, quae verba illustre commentatur Origenes tract. 22. Quid est, ait, quod tunc à prudentibus oleum petunt nisi quod in aduentu iudicis, cum se intus vacuas inuenerint, testimonium foris querunt. Ac si à sua fiducia decepta proximis dicant: quia nos quasi sine opere expelli conspiciatis, dicite de nostris operibus, quod vidistis. Cum fatuae se viderent sine oleo bonorum operum magnificas aliorum testificationes ambiunt, & exquirunt, vt illis illustrentur, ac nobilitentur.

86.

Origenes. Desideratus operibus aliorum quare testimonium.

Secundò. Eusebius Emisen. homil. 7. ad Mona. Et quidem, ait, ille stulte Virgines, quamuis stulte essent, non tamen alienas extinguere, sed suas lampades illuminare cupiebant. Quamuis Virgines essent fatuae, non tamen intendebant illustres sodalium lampades extinguere, sed à suis obscuritatem depellere, easque simili aliarum fulgore accendere, non enim praesumunt de aliarum extinctione splendescere, sed fat illis est, quod simili lumine, ac alij niteant, & fulgeant. Tertio, & ex opposito dicam forè. Cum essent fatuae oleum bonorum operum detrahere volebant à prudentibus, vt ita non tam fulgeant exigua suarum lampadam luce, quam aliarum extinctione; splendescere curant non tam lumine proprio, quam alieni diminutione: aliarum luces detracto oleo extinguere fatagunt, vt plus splendeant de alienae lucis subtractione, quam de proprio fulgore.

87.

Emissen. Sat est quod fulgens, vt alij.

Quartò. Fatuae petunt à prudentibus, date nobis de oleo vestro, fatua sanè petitio dum de proprio oleo fatagunt sibi prouidere; si ipsae vni ex prudentibus dixissent, vt ex sodalium oleo aliquid eis impenderet, forsitan optata obtinerent, nam dare ex proprio valde arduum, ex alieno verò facilius.

88.

Dare ex propriis difficile, ex alienis suauis.

Cum Dauid fugeret à facie Absalon occurrerit ei Siba seruus Miphiboseth afferens ei quaedam certa alimenta, centum ligaturas vuae passae, & centum massas palatharum, ab eo quaesiuit Dauid, vbinam esset Dominus suus, cui falsò dixit Siba, quod partes Absalon sequebatur, quo audito, absque alio praeuio examine ait ei Dauid: Tua sunt omnia, quae fuerunt Miphiboseth. 2. Reg. 16. num. 4. Cum Dauid esset in eadem Absalonis persecutione, Berzellai Galaudites praebuit regi, ac exercitui suo alimenta in castris. 2. Reg. 19. num. 32. Ab eoque postulauit

89.

2. Reg. 16.  
2. Reg. 19.

postulauit Dauid, vt cum eo descenderet in Ierusalem, à quo ipse se excusauit cum iam valde senex esset; nec inuenies, quod Dauid Berzellai, ac filiis eius aliquid, cum viueret, elargitus fuisset, sed tantum testamento ordinauit filio suo Salomoni, vt filiis Berzellai redderet gratiam. Eruntq, comedentes in mensa tua, 3. Reg. 2. n. 7. Cur Dauid Siba homini vili, ac famulo pro paruo obsequio largissimam dat satisfactionem, omnia nempe bona viuis principis. Tua sunt omnia, quae fuerunt Miphiboseth. At Berzellai pro amplissimo famulatu, quod ipsi, ac exercitui eius alimenta ministraret, nil ei repperit in vita, sed tantum testamento ordinat. Siba citò praesoluit, aliena bona concedebat Miphiboseth nempe; at verò Berzellai serd, & lente ex propriis suis mercedem assignabat cibo dato ex palatij alimonia; & sicut facile, ac prompta voluntate aliena expenduntur, sic difficile, ac renuente animo propria dantur, ac exhibentur.

3. Reg. 2.

QUESTIO XVI.

Quare dicunt lampades extinguui, & non potius extinctas esse?

90.

Origenes.

IXERVNT fatuae, lampades nostrae extinguuntur, cur non potius extinctae sunt, nam in die iudicij reproborum lampades, seu conscientiae extinctae absque virtutum lumine apparebunt, vt dixi in expositione. Respondet primò Origen. homil. 32. in Matth. Lampades fatuarum, ait, Virgines extinguuntur, quia earum opera, quae clara hominibus foris apparuerunt, in aduentu iudicis intus obscurantur. Reprobi saepe in hac vita in hominum oculis videbantur lucere, ac nitere, tamen in hora mortis, ac aduentu iudicis eorum obscuritas, ac obtenebratio in omni virtute, ac bono prodiit, & manifestatur; licet enim multi luceant in mundo in oculis diuini iudicis obscurati, ac obtenebrati apparent.

91.

Eleemosyna est oleum, quo omnes virtutes lucent. Hysichius.

Secundò. Non habebant oleum elemosynarum in pauperes, & licet Virgines essent, cum tamen oleo illo carerent, à nuptiis exclusae sunt. Hysichius ad cap. Exod. 25. His lucernis oleum, ait, elemosyna est, quia & ieiunium, & uirginitas, & oratio, & iustitia, & omnis actio bona per misericordiam dilectionis pauperum, irrigatur, & custodiuntur inextinguibiles, quod manifestant lampades quinque, fatuarum Virginum, quae quia dilectionis pauperum minus habuerunt oleum à Sponso exclusae sunt. Earum uirginitas sine oleo misericordiae non potuit lucere, ac placere Deo. D. Chrylostom. homil. de Verbis Apostoli: Sicut enim, ait, lucerna lumine oleo retinetur, & consumpto eo ipsum quoque lumen consumptum euanescit: ita etiam spiritus gratia, quantisper habemus, manet non aliter, quam flamma oleo retenta. Quae si non adsit, recedit à nobis, & abit.

Chrylost.

92.

Hieron. Qui in bono non proficit perit.

Tertio. D. Hieron. Quae lampades, ait, queruntur extinguui, ostendunt eas ex parte lucere, & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animam uirginalem, & amator pudicitiae, non debet mediocribus esse contentus, quae citò exolescunt, & exorto caumate arescunt, sed perfectas virtutes sequatur. Quod etiam docet D. Palschal. reprobantur, & excluduntur Virgines à nuptiis; non quod mali aliquid fecerint, sed quod pigri fuerint, in bono non profecerint. Vide cap. 10. n. 51. & cap. 13. n. 71. & cap. 19. n. 43. 44. 45.

Quartò. Rupertus lib. 2. in Ioan. Intrus, ait, quidem habent prudentes virgines humilitatis, vel charitatis oleum: foris autem & maxime ad eandem frequentiam nuptiarum, lucentes suas lampades non asserunt. Vbi enim citius uento misere uanitatis extinguuntur. Non excluduntur Virgines fatuae, quia foris progrediebantur, ne quia in nuptiis aderant, sed quia uento uanitatis eorum lampades erant extinctae, uanitate laborabant. Vnde oleum non petunt, sed cum imperio dicunt: Date nobis de oleo vestro. Tanto uanitatis uento agitabantur. Quo nil citius lampades extinguui poterant. Vide in Indice Verb. Gloria uana, Quintò. Vt fatuae dicunt, ac loquuntur, lampades nostrae extinguuntur, quod ex earum pigritia, ac incuria proueniebat, non enim sumpturunt oleum secum, & tamen totius rei culpam ad lampades referunt, quod extinguerentur. Vide supra cap. 9. num. 17. & 36. & cap. 10. n. 19. cap. 34. n. 50. cap. 45. n. 19.

93. Rupertus.

Vanitas uento extinguuntur uirgines.

94.

Saluan.

Sextò. Saluan. lib. 2. ad Ecclesiam Catholicam: Emicuisse, ait, in eis quiddam luminis puto, cum & ipsae extinguendas fore lampades formidauerint: habebant profecto aliquid, quod uerebantur extinguui: ex quo intelligimus: id, quod parum est, quasi nihil esse: quia nequaquam omnino prodest, illico extinguendum lumen accendi. Lampades adhuc uiuio lumine fulgebant, adhuc oleum penitus non defecerat. Cur tamen sollicitae se exhibent, vt illis oleum prouiderent. Parum erat olei, & quod parum est pro nihilo reputatur; adhuc lampades coruscabant, at verò cum oleum iam deficeret, pro nihilo lux illa reputabatur, nam lucis gloria, quae breuiter extinguenda est, nulla aestimatione pensanda, sed pro nihilo appendenda est.

Lux citò deficiens pro nihilo reputanda.

Apparet Regi Balthassari literae descriptae in pariete: Thecel appensus est in statera, & inuentus est minus habens, Daniel. 5. n. 25. Quomodo Rex ualde potens cum amplissimo imperio dum appenditur, inuentus est minus habens. Immediatè sequitur: Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Nocte enim illa à Persis, ac Medis superuenientibus expoliandus, ac excludendus à regno erat, gloria autem regni, quae tam breuibus horis abolenda, ac deficienda erat, ac si nulla existeret, diudicatur.

95.

Dan. 5.

Sextò. Ad citata uerba Saluiani, lampades non extinctae, sed extinguiebantur ob paruitatem olei, in proximo erat, vt deficerent, & inde tam sollicitae erant de oleo, nam vt ait Saluan. Id quod parum est quasi nihil esse. Conqueritur Deus per Amos 5. n. 25. Numquid hostias, & sacrificium obtulisti mihi in deserto, quadraginta annis domus Israël. Quomodo haec coherent cum his, quae dicuntur Exod. 24. n. 7. Misit Moyses iuuenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolaueruntque uictimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Praesens locus Exodi oblatas uictimas, ac sacrificia à filiis Israël in deserto testificat, peculiariterque duodecim vitulos mactatos dicit: Amos uerò negat sacrificia facta, & hostias oblatas, forte nè haec inueniuntur contraria, cum vnus locus affirmet, alter neget? Nulla sanè est contradictio, sed summa vniformitas. Caiet. ad citatum cap. 24. Exod. Si queritur, ait, quomodo verificatur hoc cum uerbis Amos? Solutio est, quod in deserto fuerunt rara sacrificia, quae non aduersantur sententiae Amos loquentis de uigi sacrificio, & solitis in terra promissionis hostijs; neutrum horum seruatum est in deserto quadraginta annis. Verum est, quod in deserto oblatae fuerunt uictimae, tamen in spatio tam longi temporis

96.

Amos 5.

Exod. 24.

Caietan.

Amos uirtutum, qui non perferetas, uix asstinaur. apud Deum.